RAMEIDOS

V A L M I C E I A E

LIBRI SEPTEM.

RAMAYANA

ID EST

CARMEN EPICUM

DE RAMAE REBUS GESTIS

POETAE ANTIQUISSIMI

VALMICIS

OPUS.

TEXTUM CODD. MSS. COLLATIS RECENSUIT

INTERPRETATIONEM LATINAM ET ANNOTATIONES CRITICAS

ADIECIT

AUGUSTUS GUILELMUS A SCHLEGEL,

DR., PROF. P. O., EQUES ORDD. AQUILAE RUBRAE, SCTI VALADIM. ET VASAE,
SOC. ORD. ACAD. SCIENTT. BORUSS. SOC. HONOR. ACAD. PETROPOL. ET MONAC.
SOCIET. REG. SCIENTT. GOTTING., SOCIETT. ASIATT. CALCUTT. PARIS. LONDIN.

VOLUMINIS PRIMI PARS PRIOR.

BONNAE AD RHENUM

TYPIS REGIIS

SUMTIBUS EDITORIS.

MDCCCXXIX.

1829



प्रांजली वानरावत्र भ्रातरौ छत्त्रधारिणौ ।
सिंहासने स्वयं रामस्तस्याङ्के मैथिली धृता ॥

PRAEFATIO.

Prodit tandem in lucem primum Rameidos meae volumen, aliquanto quidem serius tum spe mea, tum eruditorum, qui has litteras curant, exspectatione. Cuius tamen morae neque me ipsum poenitet, et legitimam excusationem apud iudices aequos mihi paratam esse confido. Quum enim quinque abhinc annos Londini, quo me contuleram ad Rameidos codices, quotquot in bibliothecis publicis asservantur, accurate perlustrandos, propositum meum de Valmicis carmine edendo publice significarem, probe equidem noram, magnam molem volvendam me suscepisse. Destinatum mihi erat in animo, reliquos vitae annos, dummodo suppeterent, huic operi perficiendo impendere. Tunc autem, partem

difficultatis haud exiguam nondum expertus, laboris magnitudinem ex ipsius potissimum carminis ambitu dimetiebar. Numero versuum Rameis Iliadem et Odysseam inter se coniunctas nisi superat, minimum aequat. Sed antiqua poesis Indorum epica, in quo genere carmen de Ramae fatis rebusque gestis primum locum obtinet, nativa quadam simplicitate sese commendat; narratio tenore aequabili defluit; ut quasi in amne sedato cuncta transluceant, et vel tironibus plerumque facilis ea sit intellectu.

Exstare copiam exemplarium, ad quae mihi pateret aditus, compertum habebam. In textu autem recensendo, de quo unice eram sollicitus, tantum abest, ut subsidiorum abundantia laborem augeat, ut magis operae criticae sit compendium. Consensus enim codicum, quantumvis multi sint, nullo negotio dispicitur; in locis corruptis vero, quanto maior est exemplarium numerus, tanto magis sperare licet, ex uno alterove medelam allatum iri, neque ad coniecturas fore confugiendum. Eiusmodi denique lectionum varietas, qua nec sententia, neque usus loquendi, neque metrum magnopere afficia-

tur, aut breviter annotari potest, aut interdum etiam silentio praetermitti, quotiescunque certi sumus, ea quae codex optimae fidei exhibet, proba esse atque genuina.

Est sane genus quoddam librorum Sanscritorum, in quibus vix quidquam variatur. Expertus hoc eram in Bhagavad-Gîtâ, cuius verba tam religiose sunt servata, ut in carmine mille quadringentorum versuum unum tantummodo distichon, ne ab omnibus quidem receptum, tanquam spurium mihi fuerit eiiciendum; unicum mendum (XVIII, 78.) coniectura tollendum, quam deinde duobus codicibus confirmatam vidi, etiamsi iam olim hunc errorem in textum irrepsisse inde pateat, quod commentator falsam lectionem ficto loquendi usu tueri conatur. Similiter in Manûs legibus pauca sunt et exigua, in quibus codices a se invicem discedant, uti apparet ex annotationibus, quas Vir Clarissimus HAUGHTONUS editioni suae praestantissimae adiecit. Accidit tamen, ut editor nonnullas correctiones meas lectionum suspectarum, in prioribus plagulis deprehensarum, quas cum illo communicaveram antequam eius opus publici iuris fieret, libris manuscriptis postmodo evo-

lutis scriptas legeret: quod vir, candidissimus idem ac doctissimus, non dissimulandum esse censuit. At enimvero summam hanc textus sinceritatem atque immunitatem tum a corruptelis tum ab interpolationibus ea tantum Indicae antiquitatis monumenta litteris mandata ad nostra tempora usque intactam servare potuerunt, quae iam olim commentariis perpetuis fuere instructa, id est, hunc in modum concinnatis, ut singula verba, nullo omisso, interpositis glossis, definitionibus ceterisque explicationibus, repetantur: quo facto textus et commentarius mutuum quasi vadimonium sibi sistunt. Quo genere commentariorum, quod sciam, carent carmina epica Brachmanorum antiquissima. Exstitere omnino Rameidos et Bharateidos commentatores, qui vel totum vel partem aliquam explicandi munus susciperent. Sed in ea, qualis plerumque est, narrationis perspicuitate, singulis versibus in stamina sua resolutis, novum commentationis subtemen intertexere, aut supervacaneum et molestum arbitrati sunt, aut timuerunt ne carmina, iam satis ampla per se, repetendo et interpretando geminata, imo multiplicata, in nimiam molem excrescerent.

Aliquam igitur certe lectionum varietatem exspectare debebam. At istud praeter opinionem cecidit, neque in operis ingressu quidquam eius me suspicatum fuisse fateor, quod postea comperi, hanc librorum discrepantiam esse continuam, ac totum carmen plus minusve pervadere. Ut paucis expediam: pro una Rameide, quam ubique eandem memorari putabam, ex illibatis adhuc bibliothecarum thesauris binae vel trinae adeo mihi prodiere Rameides, ut narrationis argumento singulisque sententiis sic satis inter se consentientes, ita verborum delectu et versuum structura, interdum etiam ordine numeroque dissimillimae.

Haud alienum erit a re, hoc loco pauca disserere de poesis epicae indole atque origine, quatenus utraque, accuratius perspecta, rationem criticam adiuvare potest. Video enim eodem ἐποποιΐας nomine a litterarum elegantiorum arbitris res utique diversissimas plerumque confundi. Scilicet mirum quantum differt narratio poetica ad delectationem unice ficta, conscio sibi fraudis poeta, vel a veritate historica, si qua subest, consulto deflexa, docte magnificeque deinde verbis or-

nata, a poesi ista prisca, simplici artificio composita, qua res mirabiles, pro veris acceptae, ex aevo heroico repetitae, metro adstrictae posteritati traduntur. Haec autem nasci solet, florere, atque adeo ad summum fastigium perduci ante doctiorem litterarum culturam, ea aetate qua unum id annalium atque memoriae sit genus. Quam veniam dari antiquitati pronuntiat historicus, ut miscendo humana divinis primordia gentium augustiora faciat, in eo praecipuum poesis epicae ornamentum spectatur, sed sponte subnatum, dum ministeriis deorum vulgo fides habetur. Hisce admirationis praestigiis adeo delectatae sunt simplices priscorum hominum mentes, ut, non contenti tacita et solitaria carminum lectione, etiamsi scribendi ars iam inventa usuque expedito propagata foret, in coetu frequenti ex ore vatum cum cantu recitantium fabulas excipere, sive ut poetae verbis utar, aure bibere mallent. Antiqua nimirum tanquam praesentia, incredibilia et naturae consuetudinem superantia tanquam vera, animis ac paene oculis obversabantur. Neque sola poeticae artis dulcedine id effectum est, sed sanctiore quadam aucto-

ritate accedente, propter arctissimam veteris memoriae cum laudibus maiorum, cum amore patriae, cum religionibus denique coniunctionem. Talium carminum vatem dudum veneramur Homerum, nuper cognovimus Valmicem et Viasum. Ex populari autem favore, quo antiquitus fruebantur carmina epica, et ex more publice eadem auscultandi, id porro consequi debuit, ut existeret ordo cantorum, qui versibus memoriter ediscendis recitandisque quaestum facerent, et hanc facultatem per omnem vitam excolerent. Cuius generis artifices, ut apud Graecos primum ἀοιδῶν, postea ῥαψῳδῶν, sic apud Indos Cusilavorum et Bharatorum nomine fuere designati.

Homeri carmina per diuturnum tempus secundum hunc morem viva voce tradita esse, antequam litteris mandarentur, nemo facile Graecae antiquitatis paulo peritior hodie inficiabitur, post invicta argumenta quibus Wolfius, nostrae aetatis Aristarchus, raram ingenii solertiam pari iudicii severitate temperans, totam hanc disputationem confecit. Quod idem in Valmicis carmine accidisse, non solum probabile fit, sed confiden-

ter affirmare ausim. Testimonia diserta in eiusmodi re frustra quaeruntur. Sed sicuti Odysseae conditor Demodoci et Phemii exemplo nos docet, quomodo ipse artem suam exercuerit, et quali vitae genere usus sit: similiter habemus in Rameidos exordio narrationem, unde colligere licet, quinam fuerit istorum temporum mos, in condendis tradendisque carminibus epicis. Nulla ibi scriptionis fit mentio. Valmices eremita Naradae, sapientis ad deorum sedes evecti, consilio celebrandum sibi sumit Ramam, utpote heroem cunctis virtutibus praeditum, cuius ipse vates aequalis fuisse fingitur. Divino spiritu afflatus carmen per tacitam meditationem ad finem perducit; cui per orbem terrarum divulgando deligit adolescentes regiae stirpis gemellos, apud se educatos, Ramae filios, sed patri ignotos. Hi carmen ex poetae ore acceptum cum modis suis edocti, universum memoria comprehendunt, ac primum in eremitarum coetu, deinde in aula regia canendo recitant. Quae ficta sunt quidem admirationis gratia, sed similia veris. Obiiciat aliquis, capita prima Rameidos, quibus ipse carminis auctor heroicis fabulis immiscetur, recentiore aetate esse ad-

dita, quod ultro concedo. At eo maior est vis argumenti inde ducti, quandoquidem patet, longo tempore post conditum carmen, quum serior aetas vatem tanquam virum sanctum ac plane divinum dudum venerabunda suspiceret, ultimaeque antiquitati assereret, morem istum carmina epica memoriter in publico recitandi nondum obsolevisse. Satis tamen antiquam esse fabulam de Cuso et Lavo, Valmicis discipulis, ipsa lingua Sanscrita arguit: abierunt enim nomina inter se iuncta in appellationem muneris, quo isti primi functi esse credebantur, ut rhapsodi vulgo Cusilavi dicerentur. Habet hoc vocabulum vetustissimus inter superstites Indorum lexicographos, Amara-Sinhas, paulisper quidem immutata significatione. Nec mirum, quum carmina heroica iam scripta legerentur, post artem scenicam inventam, rhapsodorum nomen in mimos et fabularum actores transiisse.

Aliter se habet res in Bharateide, in cuius exordio fabulosus poeta carmen a se compositum dictat Ganeso, deo ingeniosarum artium praesidi et scripturae inventori, qui versus ex ore Viasi profusos tam celeriter

excipit, ut promptissimo calamo vocis mobilitatem aequet ac paene praecurrat. Unde si quis probare conaretur, Bharateida statim ab initio litteris mandatam fuisse; nimis festinanter is temereque esset acturus. Hoc solum tuto pronuntiare licet, quandoquidem utriusque carminis exordium sine dubio morem eius seculi exprimit, quo unumquodque scriptum est, fabulam de poeta, versus suos non vulgari librario sed cuidam e coelicolis dictante, tum demum fingi potuisse, quum carmina epica iam vulgo litteris mandari coepta essent.

Non attinet, hac occasione disputare de antiquitate artis scribendi apud Indos, quam multis de caussis equidem summam esse statuo; etsi haud ignoro, Graecos plerosque, qui in exercitu Alexandri Magni vel post eum Indiam adierunt, inter ceteros Megasthenem quoque, populo alioquin cultissimo scripturae usum negasse. (STRAB. L. XV, C. I, §. 53.) Incredibile dictu est, quanta cum levitate isti manifesto falsa et ficta, vel saltem obiter observata aut male intellecta de India tradiderint. Refutantur omnes unius Nearchi testimonio, qui narraverat Indos in sindone tenui et probe subacta epistolas scribere solere.

(STRAB. L. XV, C. I, §. 67.) Sindonem etiam Aegyptii praeter papyrum adhibuerunt ad scribendum; sed fortasse intelligi debent Nearchi verba de charta e sindonum laciniis tundendo confecta; quali et hodie Indi utuntur.

Non sufficit tamen ad magna volumina condenda, quod rectissime monuit Wolfius, sola scripturae inventio: opus est materia habili et modico pretio parabili, cui non nimis operose, quidquid velis, inscribatur. Etenim quamdiu nihil exstat, quo litterae insculpi possint, praeter saxa quadrata, tabulas ligneas vel aeneas, laminasve plumbeas, ut librario opera fabrili sit fungendum, pauca tantummodo, quae ad publicam memoriam plane sint necessaria, scribi solent. Indis vero materiam quoque idoneam, qualem descripsi, ipsa natura ab ultima inde antiquitate suppeditasse videtur. Abundat enim ea regio diversis palmarum generibus, quarum folia aptissima sunt ad scripturam, quippe quae, simplici artificio praeparata, atramentum imbibant, aut in superficie laevigata litterarum ductibus stilo impressis signentur. Italos priscos ante chartarum inventionem palmarum foliis scriptitasse Varro tradidit; eodem-

que nos deducit fabula de Sibylla Cumaea: quanquam Italicarum palmarum folia exilia sunt, fragilia, neque cum Indicis comparanda. Apud Indos hic mos hodieque perdurat. Habemus codices palmifoliaceos, tum Bengalicos atramento distinctos, tum Telinganos stilo incisos, cui scripturae generi apta sunt praecipue folia Borassi flabelliformis, duriora ceteris et crassiora.

Fac autem in promptu esse materiam adeo abundantem, ut quantivis ambitus libris exarandis sufficiat, adeo commodam, ut vel currentem calamum minime moretur: aliae tamen caussae satis graves obstare potuerunt, quo minus carmina epica litteris mandarentur. Magnopere enim intererat rhapsodorum, ut ne cuiquam, nisi suo ipsorum ministerio, aditus pateret ad ea carmina, quibus ediscendis totius vitae studium impenderant: quae si quis rhapsodus dictando evulgasset, sine dubio a collegii sui hominibus proditoris loco habitus foret. Fortasse et superstitio accedebat, quasi sacrum aliquod arcanum scriptura lectioni promiscuae mancipatum profanaretur. Arctissimo scilicet vinculo carminum heroicorum argumenta cum religionibus erant con-

iuncta, quandoquidem Indi Ramam, a Valmice nostro celebratum, et Crishnum, in Bharateide primarias partes agentem, tanquam praesens Vishnûs numen specie humana indutum venerabantur. Hanc eandem ob caussam divina Brachmanorum oracula, *Vedos* dico, olim non nisi viva voce discipulis tradi solita fuisse inde suspicor, quod e variis eorum appellationibus binae (S'RUTAM et S'RUTIS) ab auditione sunt derivatae. Simile fuit Druidum institutum, de quo tam egregie huc facit C. Caesaris testimonium, ut eius verbis sententiam meam commode exprimere possim. *Magnum numerum versuum*, scribit is in commentariis de bello Gallico, *ediscere dicuntur* Druidum discipuli: *itaque annos nonnulli vicenos in disciplina permanent. Neque fas esse existimant, ea litteris mandare, quum in reliquis fere rebus publicis, privatisque rationibus, Graecis utantur litteris. Id mihi duabus de caussis instituisse videntur: quod neque in vulgum disciplinam efferri volunt, neque eos, qui discant, litteris confisos, minus memoriae studere: quod fere plerisque accidit, ut praesidio litterarum diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant.*

Id quod imperator solertissimus praedicat de vigore memoriae, quando alienis destituta adiumentis, sibi soli fidens, assiduo studio curaque excolitur, multis exemplis firmare facile foret. Etsi ad nostrum quidem sensum huius facultatis modum superat tanta verborum certo ordine recitandorum moles, dubitari tamen nequit, tum Homeridas, tum Cusilavos id re vera praestitisse, ut multa versuum millia fideliter retinerent. Adiuvabat cantoris memoriam tum concinna versuum structura, quae verba loco suo moveri haud facile pateretur, tum ipsarum rerum nexus, quas complectebatur perspicua et elegans narratio, qualem Homerus commendat, *λίην κατὰ κόσμον* disposita. Vanus igitur est timor, quem in disputatione de Homero virorum doctorum quorundam menti obversatum esse video, ne, si concedendum sit, carmen, de quo agitur, per aliquot secula discipulis a magistris per vices ore traditum esse, porro inde sequatur, nos non genuinum antiquitatis monumentum manibus tenere, sed foetum serioris aevi, quo demum illud calamo fuerit exceptum.

Supra dicta eo tantum valent, in scholis rnapsodorum vatumque penetralibus et fabulas heroicas et disciplinas sacras, modis inclusas, sine scriptura potuisse servari intemeratas, donec ars haec memorialis rite et cum bona fide exerceretur. Quid autem? et consulto mutari tradita potuerunt, vel plane nova fingi et sub antiquis nominibus venditari; cuiusmodi fraudes saepe numero factas esse scimus. Quatenus fides sit habenda famae veteri, qua opus aliquod certae aetati certoque auctori assignatur; quibus indiciis genuina ab adulteratis, antiqua ab additamentis recentioribus discerni debeant: hae sunt quaestiones altioris indaginis, quas, quantum ad Valmicem, alio loco tractaturus, nunc non attingo. Nihil aliud egi, quam ut demonstrarem, Rameida per aliquantum temporis recitando et memoriter ediscendo posteris traditam fuisse; inde paulatim ortam variationem et discrepantiam in singulis versibus, sed plerumque talem, qua nec summa operis, nec rerum narratarum ordo afficeretur. Vix enim fieri potest, quin vel fidissima rhapsodorum memoria, tanta mole obruta, interdum vacillet, ita ut pro iis, quae exci-

derint, alia quam simillima sint substituenda; neque mirabimur, sine sententiae et metri damno id factum esse, si cogitaverimus, quantam dictionum poeticarum copiam huius generis artifices usu continuo parare sibi debuerint.

Adde quod in rebus ornandis et amplificandis mirifice sibi placet epica poesis, quippe quae non eodem modo, quo lyrica et dramatica ad sequentia properat, sed contemplationi et admirationi indulgens otiose narrat, in singulis temporis momentis moratur, neque impetu rerum gestarum ipsa abripitur. Plane non similis est ea freti angusti, per quod, tempestate coorta, fluctus fluctum vehementius protrudit, sed potius immensi oceani instar, leni aura moti, quo facto unda unaquaeque, sensim assurgens, cursum suum explet, donec in aequore tranquillo evanescat. Unde vir inter Francogallos ingeniosissimus, uno procacitatis vitio notatus, Homerum vatem sublimem sed garrulum pronuntiavit. At sobrium et parcum est epos Homericum prae ea ubertate, qua in epithetis laudibusque cumulandis poetae Indici luxuriantur. Facile intelligitur, rhapsodos nulla

inventionis facultate praeditos, in eiusmodi ornatu per se satis abundante ultro etiam augendo ludere potuisse, praesertim in lingua tam copiosa, tam multiformi atque in omnes partes mobili, qualis est Sanscrita. Repetitiones, lectori fastidiosae, auditoribus fortasse non aeque displicuerant, aut omnino eos fefellerant, dum verba nimis turgida et interdum sesquipedalia, sed sonora, sed apte varieque composita, cum modulatae vocis intentione recitabantur. Hanc ipsam rhapsodorum a prisca et severa disciplina desciscentium licentiam latius subinde evagantem compescere cupientes viros graves, de sanctimonia tanti argumenti sollicitos, curasse arbitror, ut tandem litteris mandaretur Rameis. Quod quum in locis diversis et plurium ex ore rhapsodorum factitatum esset, fieri non potuit, quin ingens lectionum varietas oriretur: quae comparatis inter se exemplaribus animadversa, porro studium criticum, ut fit, elicuisse videtur.

Iam olim curam aliquam eruditam carmini rite ordinando purgandoque tum a corruptelis, tum a spuriis additamentis, adhibitam fuisse, manifesto apparet. Quonam tem-

pore, utrum publico Brachmanorum decreto, an privata industria et auctoritate, ad quamnam criticae artis normam, id quidem ignoramus. Commentatores enim, quos habemus, in interpretatione fere subsistunt; diligenter annotatam ab iis varietatem lectionis, vel ante se sublatam, vel etiamnum in exemplaribus obviam, frustra exspectes. Nusquam igitur laboris istius critici, quasi iam dudum peracti, rationem redditam, ne mentionem quidem iniectam deprehendere mihi contigit, nisi quod semel in commentario posteriore annotatum legi, Libri secundi Caput quoddam, inter nonagesimum quintum et sextum insertum, tanquam spurium fuisse reiectum. Praemittuntur nimirum haec verba:

पञ्चनवतिसर्गोत्तरमयं सर्गः क्षेपकः ।

Subiungitur deinde in fine:

इत्ययोध्याकाण्डेऽयं सर्गः प्रक्षिप्तः ।

Et re vera abest id caput a codicibus, qui priorem commentarium exhibent.

Quicquid sit, prodiere ac late per Indiam propagatae sunt binae Rameidos recensiones, valde inter se diversae, quarum alteram Commentatorum, alteram Bengalicam commode

appellare poterimus. Non ita tamen intelligenda est prior appellatio, quasi nulla exstent exemplaria eius recensionis sine commentariis: carent enim iis codices Telingani. Commentatorum editionem Varanasiae *(Benâres)*, in antiquissima eruditionis Indicae sede concinnatam crediderim. Hanc autem scholae Bengalicae non recepisse videntur: duo saltem libri litteris Bengalicis exarati, quos comparare potui, diversam ab illa recensionem alteram, et quidem textum solum, nullo commentario instructum, exhibent. Haec itaque Bengaliae ut propria iure vindicatur; dicitur etiam recensio GAUD'ANA; (cf. ED. SRIRAMAPUR. Vol. I, p. 212) a nomine urbis nunc deletae, olim eius regionis principe.

Multis gravibusque argumentis plane mihi persuasum est, commentatores priscam et genuinam carminis faciem fidelius servasse; Bengalicae recensionis auctores contra, relictis venerandae vetustatis vestigiis, multa pro arbitrio suo novasse, eo consilio ut iam obsolescentem poetae dictionem usui loquendi suae aetatis accommodarent.

Utriusque autem recensionis codices, prioris, etiamsi omissus sit commentarius, alte-

rius, etiamsi litteris Devanagaricis sint exarati, hisce fere notis distingui possunt. Commentatores singulis capitibus, quo ordine in unoquoque carminis libro invicem se excipiunt, numerum suum eumque nudum in fine apponunt; grammatici Bengali contra, numero omisso, nomina excogitarunt, ab argumento vel aliqua eius parte desumta, quibus capita designarent. Cuiusmodi titulos in Bhagavad-Gîtâ quoque habemus, minus aptos interdum, haud sane ab ipso poeta profectos, sicuti suo loco monui. Porro post Libri primi Caput secundum intruserunt novum caput, ab ipsis ANUCRAMAN'ICÂ, id est *Series rerum*, appellatum, quod centum quinquaginta distichis complectitur expositionem argumenti per septem carminis libros singulatim distributam, addito numero capitum ac distichorum, quot singulis libris continentur.

En, apertissimum grammaticorum commentum, quod si quem cognoscere iuvat, adeat editionem S'rîrâma-purensem. Quid, quaeso, vehementius repugnat, tum arti poeticae, tum indoli carminis epici, quam exilis ista rerum nominumque enumeratio, et, si Diis placet, capitum versuumque computa-

tio? Poetae nimirum summopere interest, allicere auditores incognitis rerum miraculis, eorumque animos incerto fatorum eventu tenere suspensos. Quod si eiusmodi index, prooemii loco praemissus, ita comparatus fuerit, ut, quomodo singula peracta sint, clare inde intelligatur, omnis carmini novitas aufertur; sin minus, vano et confuso verborum strepitu auditorum aures obtunduntur. Ubivis importunum id foret, hic vero plane tolerari nequit, quandoquidem indicis istius prolixitas interponitur inter declarationem argumenti, in primo capite ex Naradae persona prolatam, et eiusdem argumenti compendium in capite tertio nostro: quae utraque capita recensio Bengalica cum commentatoribus communia habet. Unde triplici earundem rerum repetitione tam inexsuperabile taedium lectoris mentem capiat necesse est, ut non mirarer, si quis, Graecae concinnitati assuetus, a lectione continuanda absterritus, librum abiiceret. At in ipsum poetam nulla prorsus hoc nomine culpa cadit: etenim in confesso est, quatuor priora capita, quibus tertio loco Bengalicum inseritur, ab aliena manu fuisse adiecta, et verum carminis ex-

ordium in capite nostro quinto post Prooemium rhapsodorum demum esse ponendum.

Commentatorum recensio, si non omnino immunis est vitii, quod in Bengalica reprehendimus, certe multo tolerabilius eo laborat. Abesse equidem mallem caput tertium nostrum, cui titulus est *Argumenti compendium*, ita ut septimum eius distichon protinus ab exordio capitis quarti exciperetur: sed contra utriusque recensionis consensum eiicere non ausus sum. Attamen breviore fastidio defungimur; non ultra triginta disticha procedit arida ista rerum nominumque, a singulo verbo pendentium, enumeratio. Diversi plane generis est argumentum carminis in primo capite. Effertur id Naradae sermone, cum vehementiore animi affectu, vaticinantium ritu, ita ut res raptim memoratae quodammodo ante oculos ponantur, atque ingentem auditori mirabundo moveant exspectationem. Nequaquam pudet comparare hanc narrationem cum episodiis quibusdam Iliadis et Odysseae, quae sine dubio vetustiorum carminum epicorum argumenta in compendium redacta nobis repraesentant. Cetera quoque, prooemii loco usque ad capitis

quinti exordium apposita, digna sunt poeta, Valmicis discipulo atque aemulo. Praecipue fabulae de fortuita metri inventione, de patris hominumque Deûmque adventu et colloquio cum Valmiçe, denique de rhapsodorum institutione, nescio quid priscae simplicitatis et sanctimoniae spirant, miraque dulcedine mentem deliniunt.

Quodnam consilium sequuti editores Bengali caput suum tertium composuerint, ea profecto haud difficilis neque ambigua est divinatio. Cavere voluerunt carmini sanctissimo ab interpolatorum temeritate, ne quippiam porro addere, vel demere inde, vel denique mutare liceret: capite isto nempe extemplo fraudis indice futuro. Quod si argumenti summam, accurate et singulatim declaratam, addito capitum distichorumque numero, ad calcem ultimi libri apposuissent, nihil sane foret, quod reprehenderes. Sed in exordio, importune quidem, neque tamen sine aliqua excusatione, collocarunt: ipsiusque carminis corpori ad speciem intexuerunt indicem suum rerum, librorum capitumque, ne scilicet is, a librariis ad finem properantibus omissus, brevi intercideret; metro etiam

incluserunt, invita mehercle Minerva, ne id ipsum, quod licentiae cohibendae gratia adstruxerant, adulterationi esset obnoxium. Hactenus non male; at in ceteris criticorum diligentiam desidero. Apponendi enim erant, ne in cassum caderet labor, singulis capitibus distichisque numeri sui, qui tamen nulli in Bengalicis Rameidos codicibus leguntur. Neque librariorum negligentiae hoc imputandum, sed ab initio non factitatum fuisse videtur: quandoquidem, ubi semel numerorum annotatio ab editoribus instituta fuerat, ex. gr. in Manûs legibus, in Bhagavad-Gîtâ, accurate ea servari solet. Quid? quod in illud ipsum computationum caput, quod abaci instar numerorum seriem exhibet, error calculi irrepsit. Numeris capitum, quae singulis libris contineri dicuntur, sibi invicem additis, quingentorum et sexaginta capitum summa conficitur; atqui tabularius iste, quisquis tandem fuit, sibi parum constans, Rameida universam sexcenta et viginti capita comprehendere affirmat:

सर्गाणां षट् शतानीह विंशतिश्चैव कीर्त्यते ।

(Cf. ED. SRIRAMAPUR. L. I, cap. III, sl. 147.) Qui versus, ut ratio ad numeros praeceden-

tes quadraret, hunc in modum foret emendandus:

पञ्च शतानि सर्गाणां षष्टिश्चैवेह कीर्त्यते ।

Ac ne forte credas, editores Anglos corruptam unius exemplaris lectionem expressisse, duo Bengalici codices nostri in hoc versu nihil variant. Error itaque manifestus, quanquam medela in promptu erat, si non omnes, saltem complures codices invasit, et locum suum tanquam legitimum tueri potuit. Tam oscitanter, sive ipsi grammatici, sive librarii, versati sunt in re tali, cui propria laus e summa diligentia unice esset quaerenda.

Accuratius tamen subducta est ratio distichorum, e quorum numeris, ad singulorum librorum argumentum annotatis, viginti quatuor millium summa recte conficitur. Hunc eundem versuum numerum commentatores quoque in scholiis prae se ferunt, editionem suam perinde ac Bengali *complexum quater et vicies millenarium* (चतुर्विंशतिसाहस्री संहिता) appellantes. Ergo, si utrique verum dixere, aut hos, ne numerum excederent, inserto enumerationis capite, centum quinquaginta disticha in aliis carminis partibus sede sua

movisse, aut illos, ne citra subsisterent, utpote qui istud non agnoscunt, totidem disticha adiecisse oportet. Sed non nimis urgenda est tota illa computatio. Quis unquam, obsecro, persuaderi sibi patietur, poetam, tam immenso tamque magnifico operi intentum, aut nihil prius sategisse, quam ut numerum distichorum certum explendum sibi praefiniret; aut casu in eum incidisse? Porro, quum primum cura critica carmini ab additamentis serioris aevi purgando adhiberetur, versibus spuriis eiectis, sponte hunc eundem numerum denuo prodiisse? Quaesivere, puto, Grammatici numerum quadratum atque perfectum, qui nisi ad amussim cum carminis ambitu congrueret, saltem non multum inde aberraret. Id eo magis credibile fit, quod pariter Bharateidos quoque census, episodiis deductis, viginti quatuor millibus distichorum aestimatus est:

चतुर्विंशतिसाहस्रीं चक्रे भारतसंहितां ।
उपाख्यानैर्विना तावद्भारतं प्रोच्यते बुधैः ॥

Statim ibidem in exordio Bharateidos additur, poetam summarium carminis, *Anucra-*

manicâ dictum, in disticha paulo plus quinquaginta coarctasse:

ततोऽध्यर्धशतं भूयः संक्षेपं कृतवान् ऋषिः ।
अनुक्रमणिकाध्यायं वृत्तान्तानां सपर्वणां ॥

Ecquid vides, omnia ad similitudinem recensionum Rameidos esse accommodata? Nisi quod Bharateis, carminum cyclicorum more contexta, rivulis episodiorum eodem confluentibus, eam in molem excrevit, ut centum millia distichorum continere vulgo feratur:

एकं शतसहस्रं तु मनुष्येषु प्रतिष्ठितं ।

E commentatoribus, quos nacta est prior Rameidos recensio, tres nominatim mihi innotuere: CATACUS, MAHÊS'VARA-TÎRTHUS sive MAHÊS'A-TÎRTHUS, et RAGHUNÂTHA-VACHASPATES. Duorum posteriorum commentarii exstant in bibliothecis Londinensibus; alter inscriptus: *Râmâyan'a-tattva-Dípicâ*, i. e. lucerna essentiae Ramayani; alter: *Râmâyan'a-Tilaca*, i. e. ornamentum frontale sive apex Ramayani. Tilaci auctor nomen suum non diserte expressit; tum in prooemio commentarii metrico, tum in titulo ad calcem capitum librorumque apposito, cuius formula solennis haec est:

इति रामाभिरामे श्रीरामीये रामायणतिलके etc.

lusisse videtur, et indulsisse sibi in ὁμωνυμίᾳ cum carminis heroe, siquidem *Raghunâtha* i. e. Raghuidarum princeps, ipsius Ramae est appellatio. Cataci opus quo titulo designetur, ignoro; auctoris nomen quoque mutilum a principio, brevitatis gratia per solam terminationem indicari apparet; similiter Tirthus pro Mahesvara-Tirtho laudatur. Ramas scholiastes duobus illis aetate posterior fuit: refert enim subinde utriusque opinionem de locis difficilioribus. Catacum evolvere operae pretium foret, si eius copia nobis facta esset: criticae diligentiae nonnihil impendisse videtur distinguendis versibus spuriis a genuinis; interdum tamen desudasse eum video in explicatione contorta lectionis depravatae.

Commentaria multo plura in Rameida olim exstitisse docemur a Tirtho, qui in exordio modeste profitetur, se non tam inventorem esse quam exscriptorem, et sententias e variis commentariis petitas (नानाटीकास्थवाक्यानि) in compendium redegisse, ne multitudine voluminum lector obrueretur. In catalogo manu scripto librorum, quos Vir illustris COLEBROOKIUS bibliothecae publicae donavit, annotatur sub numero 140 commentarius litteris

Bengalicis exaratus in librum quintum Rameidos, sub numero 69 in tres libros posteriores, nomine *Manôrama* sive *Manôhara*, nam utrumque ad idem redit: qui utrum ad Bengalicam recensionem an ad aliam quandam accommodatus sit, tunc erit examinandum, quum ad istam carminis partem tractandam devenero. Omnino mihi nondum vacavit excutere, quidnam bonae frugis inter multa futilia offerrent scholiastae. Ceteris posthabitis animum intendi ad lectionem recte constituendam, in qua mire inter se conspirant codices eodem commentario instructi; modica vel potius exigua varietas intercedit inter priorem et alterum scholiasten, dum in omnia diversa abeunt grammatici Bengali.

Ne praesidii quidquam taceam, quod mihi defuit: recensionem Rameidos *Australem*, i. e. in australibus Indiae regionibus concinnatam vel per eas propagatam, memorari video. In codice nostro C. ad libri II. caput CI, quod in editione Sriramapurensi numerum LXXIII prae se fert, annotatum legitur, non quidem ab ipso Tirtho, sed a scholiaste quodam:

तं तु राम इति सर्गो दाक्षिणात्यपाठे नास्ति ।

Caput hoc, quod a verbis: *Illum autem*

Ramas incipit, abest a recensione australi." Eiusdem mentionem iniiciunt alicubi editores Angli, (Vol. I, p. 212.) ut solent, sine ulla rei explicatione. Codices Telinganis litteris exaratos ipsa scriptura e peninsula Indica ad meridiem Orissae oriundos arguit: sed bini, a nobis collati, recensionem commentatorum presse sequuntur, ideoque istuc trahi nequeunt. Latet nos aliquid, quod aliquando, novis praesidiis adiutos melius nos perspecturos esse speramus.

Praeter duarum recensionum exemplaria usu edoctus sum exstare tertii cuiusdam generis codices, modo cum una, modo cum altera consentientes, interdum et propriam ipsis lectionem proferentes, versusque integros, qui nusquam praeterea legantur. Cuius generis codicum, eclecticos dicere possis nullique scholae addictos, exempla habemus alterum Parisiensem, et primum librum codicis Toddiani.

Praemittenda haec erant, ut in percensendis copiis meis litterariis, quonam unumquodque pertineret, clarius intelligeretur. Nunc vero codices, quos diligenter conferendos curavi, in classes suas distributos siglisque notatos, singulatim describam.

RAMEIS

E RECENSIONE COMMENTATORUM.

IN BIBLIOTHECA COLLEGII MERCATORUM IN INDIAM COMMEANTIUM.

Cum Tirthi commentario.

A. Ex libris Iohnsoni. Codex splendidus chartae Indicae inscriptus, forma maxima, foliis in transversum positis. Integram Rameida duobus voluminibus compactam continet. SAMVAT 1838 sqq. (A. Chr. 1782.)

B. Ex libris Colebrookii, cuius in Catalogo No. 135 notatur. Forma maiore, foliis in transversum positis. Charta Europaea. Nihil exstat praeter librum primum de pueritia Ramae. SAMVAT 1853. S'AKABDÊ 1718. (A. Chr. 1796 vel 1797. Obiter moneo, si quando intervallum 134 annorum inter aeram Vicramadityae et Salivahani in annum centesimum trigesimum quintum excurrat, id evenire, quia non eodem mense in utraque temporum computatione anni initium ponitur.)

C. Ex libris Colebrookii. Catal. N. 52. Forma praecedenti similis, charta Indica. Duobus voluminibus libri quinque continentur; sextus et septimus desiderantur, casu amissi: etenim ex annotatione clarissimi donatoris, primo volumini inscripta, apparet, codicem integrum ab eo emtum fuisse. Habet, tum in textu, tum in scholiis, haud pauca singularia, quorum in reliquis eiusdem ordinis codicibus ne vestigium quidem deprehenditur. Debentur ea sine dubio doctis indoctisque lectoribus exemplaris istius, ex quo descriptus est codex: hi, quicquid locorum convenientium meminerant, aut e diversa carminis recensione, aut undecunque tandem depromtum, pro more suo margini adscripserunt, unde id porro in textum migravit. Horum versuum igitur nulla erat habenda ratio, nisi accessisset aliorum librorum auctoritas.

Cum Tilaco.

D. Ex libris Colebrookii. Carmen integrum septem voluminibus continet, quae in catalogo non uno loco, neque eo ordine,

quo libri se invicem excipiunt, sed passim, sicuti casu in manus librarii inciderant, notata sunt hisce numeris: 133. 143. 14. 77. 51. 146. 19. SAMVAT 1853 — 1855. (A. Chr. 1797 — 99.)

IN BIBLIOTHECA SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARUM.

E. Ex libris Guilelmi Jonesii. Cf. Catal. ad calcem operum eius adiectus, No. 2, Lit. a. Forma maiore, foliis in transversum positis. Est Rameis integra, quinque voluminibus compacta. Primis capitibus passim adspersae sunt ad marginem notae Jonesii. SAMVAT 1838. (A. Chr. 1782.)

F. Ex libris Jonesii. Catal. No. 2, Lit. c. Codex longe splendidissimus, forma maxima, in charta candidissima scriptus, litteris quadratis maioris moduli, amplis marginibus spatiosisque versuum intervallis. Quem codicem huc refero, quia, commentario duntaxat omisso, simpliciter descriptus est e praecedente. Nihil igitur novi a lectionibus erat sperandum, quo supellex critica nostra augeretur: hacte-

nus silentio eum praetermittere potuissem. Sed memorari debet propter unicam elegantiam, et quoniam documento est, quam singulari amore Vir illustris GUILELMUS JONES amplexus fuerit litteras Indicas. Magnifico habitu condecoratum intueri voluit immortale Valmicis opus, et voluptatem capere ex eius lectione, immunem istius morae atque molestiae, quam necessario affert confusa et identidem oculorum aciem fallens scriptura librorum, quales vulgo venduntur. Quanto plausu excepturum fuisse putatis virum summum, si hodieque superstes foret, hunc meum laborem, quo eadem voluptas, quam sibi haud mediocri sumtu parabat, omnibus harum litterarum studiosis ultro offertur, simul cum textu castigatissimo, de quo corrigendo ille, vix tirocinio grammaticae Sanscritae deposito, ne cogitare quidem poterat? Jonesii librarius, calligraphia insignis, antea munere eodem functus erat apud virum clarissimum CAROLUM WILKINS, qui ad eius exemplar typos suos Devanagaricos excudit; elegantissimos illos, sed in litteris nonnullis

nimium ab usu vulgari recedentes. Comprehendit codex priores quatuor carminis libros; initio libri quinti interruptus est labor dementia librarii, qui olim grammatica quadam facultate imbutus, temulentiae deinde deditus, neque amplius mentis suae compos, verba litterasque misere confundebat.

Codices supra memorati omnes chartacei sunt, et litteris Devanagaricis exarati.

IN BIBLIOTHECA FRANCIAE REGIS.

Sine commentario.

M. N. Ambo palmifoliacei, stilo Telingano incisi. Sine anno. Hos propter scripturam plerisque ignotam et lectu difficillimam delitescentes Parisiis in bibliotheca Regia, praetermissos ab ALEXANDRO HAMILTON, qui titulo Catalogi sui, a LANGLESIO editi, plenam librorum Sanscritorum sine scripturae discrimine enumerationem pollicitus, Devanagaricos et Bengalicos tantummodo pertractaverat: hos, inquam, primus in lucem protraxit et ad usum litterarium convertit LASSENIUS noster. Di-

dicimus inde, quod observare operae pretium est, recensionem commentatorum, hanc enim fideliter exprimunt librarii Telingani, tantum valere auctoritate, ut per meridiem Indiae quoque sit propagata. Quantum animadvertere potui, cum posterioris commentarii lectionibus saepius congruunt; interdum proferunt lectiones utroque praestantiores. Sunt in universum codices optimae notae, a docta manu profecti. M. accuratius collatus est; alter propter characterem nimis minutum et indistinctum, quem lector vel oculatissimus vix tuto in elementa sua resolvere possit, minus utilis nobis fuit.

RAMEIS

E RECENSIONE BENGALICA.

I. In Bibl. Soc. Reg. Scientt. Londin. Ex libris Jonesii. Cf. Catal. No. 2, Lit. b. Chartaceus, litteris Bengalicis. Septem voluminibus carmen integrum complectitur. SACA 1712. (A. Chr. 1790.)

K. Regius Parisiensis. Cf. Catal. Hamiltonianus, pag. 64, No. XX — XXII. Palmi-

foliaceus, litteris Bengalicis: tribus capsis carmen integrum complectitur. SACA 1610. (A. Chr. 1688.)

CODICES MIXTI GENERIS.

G. Est Reg. Paris., in Catal. Hamilton. p. 13, No. II. Chartaceus, forma maiore, foliis in transversum positis, litteris Devanagaricis quatuor librariorum inter se alternantium calamo exaratus. Ad calcem libri primi SAMVAT 1815. (A. Chr. 1759.)

T. Chartaceus, forma maxima, foliis in transversum positis, scriptura Devanagarica; ornatus picturis miniatis, tam magno numero, ut alternis fere vicibus folii partem aversam pictura occupet. Ad calcem libri primi SAMVAT 1763; (A. Chr. 1713.) ad ceterorum 1707 — 1710. (A. Chr. 1651 — 54.) Desideratur liber tertius et quintus. Codex rarissimus asservabatur olim in bibliotheca regis Udaya-purensis, *(Odeypore)* principis nobilissimi in regione *Rája-putrorum*, i. e. τῶν μαχίμων, ἀνακτογενῶν, a quo dono acceptum in Europam attulit ex India redux IACOBUS TOD, tribunus

militum in exercitu Regis Magnae Britanniae, et per aliquot annos apud regem Udayapurensem legatus. Vir litterarum amantissimus, cui inter belli pacisque munia vacavit multa monumenta egregia disciplinae, artis et antiquitatis Asiaticae, libros manuscriptos, titulos lapidibus incisos, sigilla aenea, nummos, et s. p. colligere, huius codicis usum perliberaliter nobis concessit. Liber carminis primus, ut apparet tum ex anni nota, tum e dissimili scripturae et picturae charactere, adiectus est a recentiore manu ad iacturam voluminis casu amissi supplendam; exscriptus e codice mixti generis. Reliqui recensionem Bengalicam exhibent. Quod et ipsum notatu dignum erit, donec codices antiquiores nacti fuerimus, hanc recensionem Bengalicam ante duo ferme secula in tam remotum Indiae occidentalis tractum penetrasse.

Hi sunt codices, quos evolvendi facultas mihi data est. Collata fuere duodecim exemplaria libri primi, undecim secundi. Nullam curam vel investigationem neglexi, ut quam

amplissimo apparatu instructus ad opus susceptum accederem; nec taedium reformidassem longe plures codices comparandi, si in promtu fuissent. Sed vix puto e bibliothecis Europaeis tum publicis, tum privatis, diligentissime perlustratis multos mihi ignotos prolatum iri. Enumerabo tamen, ne quidquam praeteream, codices, quorum notitia ad me pervenit, usus negatus fuit.

Primo loco monendus est lector, ne, ubicunque Ramayani manu scripti mentionem iniectam viderit, exspectet opus illud ipsum, quod nos edimus, complura carmina eiusdem argumenti atque tituli tum sermone Sanscrito, tum vernaculis Indiae hodiernae dialectis esse composita, inter quae celebritate facile praestat carmen mysticum, *Adhyâtma-Râmâyan'a* dictum. (Cf. *Colebrooke on Sanscrit and Pracrit poetry.* AS. RES. *Vol.* X. *Ed. of London,* p. 425. *Dalrymple Oriental Repertory* T. 11, p. 555 — 8.) Idcirco Valmicis opus antiquissimum et nobilissimum, ceterorum fons communis, Ramayani Valmiceii cognomine distingui solet. Idem argumentum heroicum saepius ex epica forma in dramaticam translatum est: et primum quidem a

BHAVABHÛTE, qui ineunte seculo octavo post Christum natum floruit. Ex eiusmodi fabulae scenicae, MURARIS poetae nomine celebratae, prologo desumtum est praeconium herois, quod grammatici Bengali in fronte editionis suae, editores Angli loco tertio posuere.

Nisi memoria me fallit, nam liber P. Paulini a Scto. Bartholomaeo nunc non ad manum est, exstat exemplar Rameidos in bibliotheca Sacrae Congregationis de propaganda fide. An in Lusitania, Coimbrae vel Olisipone, aliquid lateat, ignoro; probabile fit, dum dominatio Lusitana per Indiam vigebat, sacerdotes eius gentis eo missos, ut ad sacra Christiana ethnicos converterent, libros Indicos in patriam remisisse: saltem quosdam ex illis linguae Sanscritae ediscendae operam dedisse, dubitari nequit.

In catalogo librorum quos IOANNES LEYDEN, medicinae Doctor, per diversas Asiae regiones conquisiverat, annotatum est Ramayani exemplar. Post mortem immaturam viri doctissimi et de litteris Orientalibus optime meriti, advecti sunt in Europam eius libri, emtique nuper a Collegio Mercatorum in Indiam commeantium; sed eo tempore quo

Lassenius noster Londini versabatur, nondum e cistis expromti erant, neque in bibliothecam curiae Indicae illati. Porro ROBERTUS CHAMBERS, eques, olim in Bengalia Praetor iuri dicundo inter cives et peregrinos, magnum numerum librorum Sanscritorum (sunt ad septingentos quinquaginta) collegerat: qui uberrimus doctrinae Brachmanicae thesaurus ab heredibus Viri illustris dudum venum oblatus, in Magna Britannia ista, omnium terrarum opulentissima, emtorem, quod sciam, nondum invenit. Habeo catalogum, indocti quidem librarii manu properatum, et prava pronuntiatione Bengalica more Anglico expressa adeo deformem, ut interdum vix divinare possis, quaenam vocabula Sanscrita sint intelligenda; bona fide tamen, ut apparet, confectum. Ibi annotatum video No. 344 Valmicis Ramayanum, No. 367 idem opus sine auctoris nomine, No. 361 Valmicis historiam veterum regum, quo titulo vel ipsum carmen epicum vel eius summarium designari videtur, quandoquidem nullum aliud eius opus novimus. An integra sint exemplaria, et cuiusnam generis, comperire non potui.

Fortasse miratus fuerit lector aliquis, me nihil auxilii petiisse e Museo Britannico, cuius tanta est fama apud philologos propter copiam librorum manuscriptorum. Eo quoque me converti; praeter *Vedorum* exemplar pretiosissimum, a nobili Helveto DE POLIER dono datum, et *Mahâ-Bhâratum* ex libris HALHEDI, inveni paucos numero neque magni momenti codices Sanscritos, plerosque in catalogis perperam notatos: sed nihil ad curam nostram.

Denique fragmentum lacerum ex posterioribus Rameidos libris ipse Oxonii indagavi: sed operae pretium est narrare, quomodo hoc evenerit. Certior factus eram indicio V. Cl. CAROLI WILKINS, eo transiisse codices Arabicos, Persicos et Sanscritos, quos medio fere seculo proxime praeterito IACOB. FRASERUS per Asiam conquisitos ad calcem vitae Nadiri a se conscriptae enumeravit; asseverabat vir doctissimus, se ante viginti annos ipsum Oxonii eos vidisse. Litteras misi ad ALEXANDRUM NICHOLS, professorem Oxoniensem; responsum eius relatum: codices istos ipsi plane ignotos esse; si unquam exstiterint, sine dubio dudum deperditos. Ita inveniendi spe paene praeclusus, nihilominus tamen profectus sum

ad celeberrimam eruditionis sedem. Humanissime me excepit V. Cl. ALEX. NICHOLS, quem litterae Orientales nuper sibi ereptum lugent, deduxit in bibliothecam Bodleianam, ipsius curae commissam, exhibuit unicum libellum, quo continebatur Pancha-Tantrum cum triginta duabus fabulis statuarum ad solium Vicramadityae adstantium, et tractatu quodam medico; affirmans, nihil praeterea codicum Sanscritorum ibi exstare. Quum, gravissimo testimonio Caroli Wilkins ego fretus, percunctando amplius instarem, venit ei in mentem bibliothecae Ratcliffianae. Excitavit collegam suum, istius custodem, qui libros Fraseri Arabicos et Persicos quidem probe norat; quantum ad Sanscritos, securae pocula Lethes ebibisse videbatur. Perquisitum est: protracta tandem e scrinio diu invisitato disiecta et lacera codicum membra, squalore obsita, foliis promiscue convolutis. Heu! quantam tunc vidi stragem! Nihil unquam confusius ex antro Sibyllae, palmarum foliis, quibus illa inscribere oracula sua solebat, tempestate subita abreptis, in cunctas coeli plagas dissipatum est. Non mihi vacabat omnia excutere, properabam enim domum reverti, autumno iam

ad brumam vergente. Segregavi tamen ex foeda illa colluvie fragmentum Ramayani, (fol. 228 — 303.) recollegi quoque paene integrum codicem carminis de Crishni ἐπιφανείᾳ, *(Srî-Bhâgavata-Purân'a)* et folia, quotquot reperire poteram, ordine suo reposui. Non me fefellerat scriptura vetustatis speciem prae se ferens: haud mediocriter miratus, legi ad calcem librorum annotatos annos SAMVAT 1461 — 1463, i. e. A. Chr. 1405 — 7. Antiquissimus inter omnes Regios Parisienses est codex eiusdem carminis (cf. Catal. Hamilt. p. 9, N. I.) scriptus sexaginta quinque annis post, SAMVAT 1528, A. Chr. 1472. Possidet ergo Academia Oxoniensis, adhuc divitiarum suarum ignara, exemplar unicum et rarissimum in litteris Sanscritis.

Postea comperi, codicem hunc Ratcliffianum antiquitate non aequari solum, sed longe superari uno ex libris Toddianis, cui titulus est *Gan'a-Ratna-Mahôdadhi,* (videtur esse tractatus arithmeticus) adscripta anni nota SAMVAT 1151, i. e. A. Chr. 1097. Plerique, quos in bibliothecis Europaeis noverim, sunt admodum recentes: pauci ad duo secula, paucissimi ad tria ascendunt. At frustra patroci-

nium inde quaerunt opinioni suae critici illi mediastini, ad dubitandum sine ratione obstinati, qui detrudendo ad tempus novissimum omnia disciplinarum artiumque apud Indos monumenta, quasi gens olim cultissima humanitatis prima elementa χθὲς καὶ πρώην accepisset, mirum quantum sapere sibi videntur; sed nihil ultra efficiunt, nisi ut prodant, ad prisci aevi indolem dignoscendam sensum ipsis plane occalluisse. Facile intelligitur codices, quibus vetustas summam auctoritatem conciliavit, in bibliothecis principum et collegiorum sacerdotalium asservatos, non vulgo venales prostare: praesertim quum docti inter Indos magni faciant libros minime speciosos, sed lectorum eruditorum manu ab erroribus librariorum purgatos. Adde quod multo fragiliores sunt, pluribusque casibus obnoxii codices chartacei et palmifoliacei, quam membranacei, quales ex antiquitate et medio aevo ad nos pervenerunt. Insidiantur istis praecipue formicae albae, quarum catervae innumerabiles sub torrido Indiae coelo magnos librorum cumulos paucis horis conficere posse dicuntur. Ab earum morsu ut codicibus caveatur, saepe folia colore flavo ex acerrimo

veneno, auripigmento, praeparato illita videmus.

Attamen defectus librorum vetustiorum quodammodo compensatur proventu exemplarium e diversis Indiae regionibus. Nam quae in locis immenso intervallo separatis eodem modo scripta sunt, ea translaticia esse, et e communi fonte intemerata fluxisse, credere par est. Et hac saltem ex parte, quanquam nullus inter codices nostros antiquitate valde insignis sit, satis bene mihi processit: siquidem recensionem Commentatorum e terris Gangeticis ortam in peninsula, Bengalicam in India occidentali fideliter repraesentatam inveni.

Restat ut rationes meas in textu constituendo, et quomodo subsidiis meis usus sim, breviter exponam.

Recensio Commentatorum et Bengalica nec simul ambae recipi poterant, neque commode inter se coalescere: alterutra erat eligenda. Illam praetuli; cur praeferendam censeam, supra obiter indicavi. Sane, si nullam aliam nossemus praeter Bengalicam, utique ei standum fuisset; et sine dubio magni aestimaturi eam fuissemus; nec fortasse suspicaturi, sin-

cerius quicquam ex ultimae antiquitatis penetralibus proferri posse. Non solum nihil novatum in argumenti summa, narrationis ordo religiose servatus: sed sententiae quoque singulis sententiis, versus versibus plerumque respondent; tam fida imagine expressum est exemplar, ut in utraque recensione res easdem, diverso duntaxat modo enuntiatas, bis legere tibi videaris. Longe maxima pars varietatis in dictione consistit. Sed in huius etiam colore veteres illi editores Bengali aemulati sunt priscam carminis epici simplicitatem: raro delapsi ad argutias, ad ornamenta nimis ambitiosa, et structuram verborum, quae grammaticam subtilitatem redoleat. At comparatione acuitur iudicium: singulatim collatis commentatorum lectionibus cum Bengalicis vix dubium fore puto criticis talium rerum sensu imbutis, utrae sint nativae vel posterioribus curis retractatae. Video, grammaticos scholae Bengalicae interdum scabritiem quandam sermonis tollere voluisse, vocabula obsoleta, structuram minus apte cohaerentem, denique licentias epicas, exempli gratia omissum augmentum in praeterito imperfecto,

vel formam य pro त्वा in absolutivis verborum simplicium: quarum licentiarum usus legitimus ex Manûs codice probatur. Perspicuitati quoque prospexerunt, quod adeo verum est, ut haud raro in locis difficilioribus lectiones Bengalicae scholiorum vice ad interpretandum valde utiliter adhiberi possint. Fateor tamen saepe me non assequi, quid mutando lucrari sibi visi sint; et nihil aliud subesse arbitror, praeter novandi libidinem, et importunam grammaticorum semipoetarum sedulitatem.

Quibus omnibus diligenter observatis atque perpensis, editioni meae Commentatorum recensionem pro fundamento substruere decrevi. Ubi variant inter se prior et alter, liberam mihi eligendi facultatem sumpsi; in locis corruptis vel quocunque tandem modo turbatis, tum a Bengalis, tum a codicibus mixti generis auxilium circumspexi. Etenim quae ab his proferuntur, etiamsi a Commentatorum recensione absunt, idcirco non protinus sunt aspernanda, sed suo merito unumquodque aestimandum. Sine dubio Bengali recensionem istam ante oculos habuere: quis vero negare audeat, eos nonnulla ex

aliis veteris memoriae monumentis haurire potuisse?

Haud ambiguis indiciis perspectum habeo, doctos Brachmanos, qui ordinando Valmicis carmini studia sua dicarunt, non tantum de poeticae artis perfectione sollicitos, quantum de doctrina sacra, theologicis magis quam criticis rationibus inductos nonnulla ex iis, quae ante se tradita fuerant, reiecisse, alia recepisse. Multo brevius episodium de Rishyasringa (LIB. I, CAP. IX.) exhibent commentatores quam Bengali, quibuscum in narratione uberiore conspirant codices nostri eclectici. Scilicet metuerunt homines religiosi, ne fabula paulo lascivior parum consentanea esset gravitati argumenti; offendit eos praecipue, quod pater Rishyasringae, vir sanctissimus et vaticinandi dote praeditus, fraudem puellarum non sensisse narrabatur. Omiserunt ergo descriptionem iocorum et illecebrarum, quibus saltatrices anachoretarum habitu indutae adolescentem feminei sexus ignarum irretiunt; omiserunt etiam adventum senis, eiusque colloquium cum filio: quo pacto prorsus ieiuna evasit narratio. Equidem poetam tanta venustate spoliari non

sum passus; transtuli episodium plenissimum ex Bengalica recensione, assumtis quibusdam versibus e Codice Devanagarico Parisiensi et Toddiano.

Ut alio exemplo utar: Bharata ad avum maternum dimisso, multa de eius institutione addunt Bengali, quorum ne vestigium quidem apud commentatores deprehenditur. (Cf. Ed. Sr. L. I, Cap. LXIII, sl. 36 — 42, Cap. LXIV, sl. 1 — 17.) Nimirum auctor horum versuum proponere voluit exemplar institutionis, qualis adolescentem regium deceat; voluit inculcare ante omnia, debere regum filios a nutu Brachmanorum pendere. Sed praepostera haec sunt, fastidiosa et alieno loco intrusa: multo ante de Bharatae fratrumque eius educatione traditum fuerat; nunc is iam uxorem duxit, et ad alia maioris momenti properat poeta.

Narratur, in sacrificio equino inter multa millia hospitum Brachmanis insignem honorem fuisse habitum. Addunt Bengali, reges famulorum munere functos iis adstitisse, mensisque eorum dapes imposuisse:

राजानोऽभ्यागतास्तत्र स्वयमेव स्वलंकृताः ।
भृत्यवत् प्रणाता यज्ञे द्विजान् वै पर्यवेशयन् ॥

Quis, quaeso, hic non agnoscit superbiam sacerdotum, qui honores nimios, ab regibus insolentius efflagitatos, antiquissimo exemplo sancire conati sunt?

Lubrico vestigio insistit V. Cl. HEERENIUS, *prof. Gottingensis,* in libro suo de commerciis veterum populorum, (OPP. HIST. Vol. XII, pag. 129.) dum putat, ex mentione sectatorum Buddhae secundo libro Rameidos iniecta de tempore, quo totum carmen sit conditum, quicquam legitime concludi posse.

यथा हि चोरः स तथा हि बुद्धस्
तथागतं नास्तिकमत्र विद्धि ।
तस्माद्धि यः शङ्क्यतमः प्रजानां
न नास्तिकेनाभिमुखो बुधः स्यात् ॥

(Cf. ED. SR. Vol. III, pag. 452.) Sunt versus spurii; reiecti a Bengalis in sola commentatorum recensione leguntur. Buddhas quidem mille fere annis ante Christum natum vixit: sed post multa demum secula, odio internecivo inter Brachmanos et Buddhae sectatores orto, his denique ex India pulsis, fingi potuit iniquissima criminatio, eos animi immortalitatem, poenasque et praemia in vita futura negare. Praeterea metrum, quo concinnati sunt

hi versus, de quo metro mox disseram, recentiorem aetatem arguit.

In exemplis supra laudatis alterius recensionis auctoritatem alteri opponere poteram: sed quoties ipsa res clamat, versus esse spurios interpolatosque, obelis confodiendos censeo, vel sexcentis codicibus refragantibus. Horum enim consensu id modo probatur, alte insedisse corruptelam et late grassatam esse. Mihi autem ea cura praecipua fuit, ut aut veram carminis faciem, aut digniorem saltem tum antiqua fama, tum poetae virtutibus in universi carminis tenore spectatis instaurarem.

Quod si ante me in textu castigando critici versati fuissent, quales fuerunt Alexandrini, nihil aliud mihi curandum putassem, quam ut vestigiis eorum, emendatis tantummodo librariorum erroribus, quam diligentissime insisterem. At longe aliter res se habet. Sunt sane solertissima Indorum ingenia, quippe quae nimis etiam in tradendis disciplinis subtilitati ambagibusque abstrusis indulgeant: sed obstitit apud eos critico acumini, ut fieri solet, superstitio. Scilicet nefas habuere homines religiosi, tanquam spuria eiicere, quae per

aliquod tempus, nulla fortasse idonea auctoritate, inter sanctissimi vatis effata recepta fuerant, qualiacunque tandem essent. Inde factum, ut corruptelae et interpolationes, sive ex negligentia et inscitia ortae, sive audaci fraude illatae, quum semel irrepsissent, facile locum suum tuerentur, et inveterascendo magis magisque gliscerent. In universum primi editores nec rhapsodorum vetustiorum additamenta satis severe rescidisse, neque in posterum sinceritati textus a simili licentia satis cavisse videntur: quod quidem, sicuti supra monui, vix aliter quam commentario perpetuo fieri poterat. Quicquid sit, nonnulli loci tam impedita confusione, tam cumulatis repetitionibus laborant, narratione interim nusquam progrediente, sed Maeandrio quasi flexu in se redeunte, ut intellexerim non critici solum sed διασκευαστοῦ munere mihi esse fungendum. Facillime evagari potuit addendi libido in descriptionibus stativis et laudibus rerum personarumque, cuiusmodi continentur capitibus primi libri proxime post prooemium positis; et ibi neutra recensio hac labe caret. Narratio per seriem rerum procedens confusioni minus erat obnoxia: inter-

dum tamen ea quoque praepostere in se recurrit. Sic ex. gr. in commentatorum recensione bis de sacrificii equini apparatu deliberatur; altera vice post annum, quo opus erat, iam in eodem consumtum. (Cf. ED. SR. L. I, CAP. VIII, sl. 11. sqq. et CAP. XI, sl. 15 sqq.) Hoc vitium sustulerunt Bengali, quadraginta versibus priore loco eiectis, quorum exemplum imitatus sum.

Ceterum non recessi a commentatorum recensione, nisi necessitate quadam urgente. Disticha integra ea tantum eieci, quae vana repetitio sententiae iam prolatae e lusu variandae dictionis subnata esse demonstrat. Singuli versus saepius fuerunt eiiciendi, sed ne id quidem sine certa lege factum est. De metrica ratione *s'lôci* sive distichi heroici et gnomici disserui in praefatione ad Bhagavad-Gitam. Cuius metri regulam mira cum brevitate, exemplo simul exhibito, complexus est *Câlidâsas* hisce versibus:

॥ अथानुष्टुप्छन्दः ॥

पञ्चमं लघु सर्वत्र सप्तमं द्विचतुर्थयोः ।
षष्ठं गुरु विजानीयादेतत् पद्यस्य लक्षणं ॥

॥ अपरानुष्टुब्यथा ॥

श्लोके षष्ठं गुरु ज्ञेयं सर्वत्र लघु पञ्चमं ।
द्विचतुष्पादयोर्ह्रस्वं सप्तमं दीर्घमन्ययोः ॥

Forma a metrico descripta est usitatissima: attamen in primi et tertii hemistichii postremis quatuor syllabis maior quaedam licentia concessa est poetis epicis et gnomicis, ut et alii pedes praeter antispastum vel primum epitritum ibi admittantur, excepto semper diiambo vel altero paeone. Quod autem ad sententiarum membra attinet, slocus plane similis est distichi elegiaci, quale poetae Latini seculi Augustei id elaborarunt. Nimirum in elegiis Graecorum sententia plerumque ultra finem distichi continuatur, ita quidem ut sensu postrema pentametri verba cum primis hexametri sequentis arctissime cohaereant; quin et venustatem quandam ex ista clausularum coniunctione cum exordiis quaesiverunt: Latini contra, principio exemplaria Graeca tam in distichorum nexu quam in ceteris imitati, deinde diverso iudicio aurium Romanarum obsequuti, aut singulo disticho integram sententiam incluserunt, aut si quando ampliore verborum ambitu opus esset, curarunt ut eius

incisa cum metri articulis convenirent. Haec eadem est sloci natura: sententiae simul cum distichis incipiunt, iisdem terminantur; complexus rarior duorum distichorum युग्म, plurium कुलक a grammaticis dicitur.

In multis Ramayani et Maha-Bharati capitibus codices imparem versuum numerum exhibent; librarii inaequalitatis celandae gratia slocos ex uno versu, vel e tribus conflatos excogitarunt. Enimvero hoc ipsi definitioni repugnat: diserte in fabula de huius metri inventione (RAM. L. I, CAP. II, sl. 43.) declaratur, sloci esse membra quatuor, syllabarum numero inter se aequalia, quae nos hemistichia nuncupamus; et similis divisio stropharum seu distichorum per membra quaterna in universa re metrica Indorum dominatur. Igitur ubique numerus impar indicio est versum unum aut excidisse, aut intrusum esse. Sed hoc multo saepius accidit quam istud. Inde porro legitimus ordo turbatur, slocorum compage soluta, et sententiis in bina disticha discerptis. Hisce indiciis nunquam fallentibus indagare oportet versum spurium, quo eiecto elegans illa symmetria quasi miraculo sua sponte redintegratur. Ubi nullus

reperiebatur versus suspectus, qui commode a narratione abesse posset, locum vacuum reliqui versui omisso, ut recto talo starent sloci sequentes. Eiusdem vitii plura exempla obvia sunt in episodio de Nalo, de quibus observationes meas cum eius editore FRANCISCO BOPP, professore Berolinensi, communicavi. Docte et religiose, sed fortasse nimis timide versatus is erat in pulcherrimo episodio recensendo: spero me viro clarissimo persuasisse, versum supervacuum, in quo culpa numeri imparis latet, ubique falce critica audacter esse resecandum.

Poenitet me nunc mei consilii, quod non statim ab initio, praeter versus istos accensos, eiecerim cuncta disticha diversis a sloco vulgari metris composita. Metra sunt duo: pariter ambo constant quatuor hemistichiis inter se aequalibus, alterum undenarum syllabarum, alterum duodenarum, hunc in modum:

⏒ — ⏑ — | — ⏑ ⏑ — | ⏑ — ⏒
⏑ — ⏑ — | — ⏑ ⏑ — | ⏑ — ⏑ ⏓

Cuius generis versus in primo et secundo Rameidos libro nusquam nisi ad finem capitum apposita inveniuntur, et huic loco unice sunt accommodata, quasi peroratio, lyricis numeris

assurgens, quo magis canorae cadant clausulae: sicuti musici in concentibus extremis omnium vocum instrumentorumque ictu fortiore aures percellere amant. Igitur disticha illa non ante divisionem per capita illatam addi potuerunt: hanc autem grammaticis deberi argumento est ipse recensionum dissensus, manifesto inde ortus, quod singuli editores in ea constituenda suo quisque iudicio usi sunt; praeterquam quod non credibile est, poetam artis suae peritum narrationem continuam in membra tam minuta dissecuisse. Porro discolor est dictio: magniloquentia affectatur, sed nimis turgida illa atque effusa, nec sententiarum pondere satis suffulta. Denique nihil fere novi affertur: amplificantur prius dicta, rarius aliquid ex capite sequente anticipatur. Si quis appendices hosce legendo transiliat, sentiet slocum ultimum cum primo capitis proximi apte coagmentatum, nec sine vi quadam inde avulsum. Eiusmodi versus exhibet utraque recensio, sed modo haec modo illa plures paucioresve numero, et lectio interdum magnopere variat.

Longe diversa est, quatenus explorare potui, ratio numerorum lyricorum in Bha-

rateide, quibus Bhagavad-Gitae episodium quasi claris luminibus hinc inde distinctum est, caput eius undecimum paene integrum conscriptum; nec non in exordio nobilissimum illud Dhritarashtri vaticinium. Intexti sunt ipsi carminis corpori, ut sine gravi nexus damno nihil eorum omitti queat. Stilus quoque praestantissimo poeta est dignus: maiestas cum brevitate coniuncta; vibrant sententiae, et nescio quid instinctus divinioris spirant. Metrum vero simile quidem, sed multo liberius, quemadmodum patebit cognoscere volentibus e schemate in praefatione mea ad Bhagavad-Gitam delineato. Nam in ceteris cuiusque hemistichii sedibus praeter ultimam, quae ditrochaeum postulat, varii pedes admittuntur. Contra in distichis lyricis Rameidos semper idem servatur ordo. Apparet autem, apud Indos arte poetica doctius exculta, et sero tandem in nugas difficiles degenerante, rem metricam severioribus subinde legibus fuisse adstrictam. Ideo metra monoschematica, in quibus pariter atque in strophis Graecorum melicis, singularum syllabarum quantitas certo ordine definitur, ad aetatem recentiorem referenda arbitror.

Ne quis, editione Sriramapurensi forte cum nostra comparata, quum illam multo auctiorem viderit, propter tot centenos versus eiectos nimiae temeritatis et piaculi in Valmicis manes admissi me reum agat, accuratissimam aestimationem proponam. Complectitur liber carminis primus secundum recensionem commentatorum disticha 2328. Ad calcem codicum Telinganorum annotantur 2230; quae summae differentia non tam e versibus omissis orta est, quam e diverso numerandi modo. Nempe admittunt librarii slocos ternorum versuum: ego versus ubique per paria iunxi, et versum compare viduum in fine capitis pro integro sloco annumeravi. Editio mea exhibet disticha 2316, ut vix ulla iactura facta esse videatur. At re vera aliquanto maior est numerus versuum, quos exulare iussi, siquidem nonnulli assumti sunt ex recensione Bengalica et codicibus mixti generis.

Grammatici Bengali in computationum capite primum librum distichis 2850 aestimant. (Cf. ED. SR. L. I. CAP. III, sl. 29.) Videtis, quantum intersit. Quod si tantundem in ceteris libris excedit commentatorum recensionem Bengalica, debet illla longe infra nume-

rum quater et vicies millenarium subsistere. Neque vituperandi sunt critici, qui primi textum commentatorum ordinarunt, quod promissis parum steterint: utpote qui nihil de numero versuum spoponderant, nec demiserant se ad computationem istam Bengalicam librorum, capitum ac distichorum. Exhibent sane codices in exordio capitis nostri quarti hoc distichon:

चतुर्विंशत्सहस्राणि श्लोकानामुक्तवान् ऋषिः ।
तथा सर्गशतान् पञ्च षट् काण्डानि तथोत्तरं ॥

Sed id aperte spurium est, male concinnatum, et ne ad grammatices quidem normam exactum. Confugit versificator in metri angustiis ad soloecismos: finxit novam formam विंशत् pro विंशतिः ad analogiam numerorum maiorum त्रिंशत् चत्वारिंशत्, plane ac si quis Latine *viginta* pro *viginti* diceret; usurpavit शत genere masculino, utrumque inauditum. Sine dubio facta fraus a librariis, ne sua exemplaria ab altera recensione pleniore carminis ambitu superari viderentur.

Mallem tacere de editione Sriramapurensi: sed aliquid dicendum est, ut lector intelligat, cur nostra immensum quantum distet ab illa.

Per annos 1806 — 1810 GUILELMUS CAREY et JOSUA MARSHMAN, iam per aliquot annos tunc in Bengalia commorati, a Societate Asiatica Calcuttensi eiusdemque urbis Academia linguarum Orientalium liberalissima remuneratione excitati, primum et secundum librum Ramayani cum interpretatione Anglica tribus voluminibus publici iuris fecere. Secundum volumen naufragio periit, pauca eius exemplaria in Europam allata sunt, quorum unum debeo liberalitati Viri illustris et mihi amicissimi, IACOBI MACKINTOSH. Egregiis praesidiis muniti fuerunt editores Angli: habuerunt codices utriusque recensionis; commentarios Tirthi, Ramae et Cataci, nisi hunc ex isto laudaverunt; fortasse et alia mihi ignota. Quibus copiis quam pravo iudicio, quamque oscitanter abusi sint verius quam usi, mihi vel invito, quum idem opus post eos suscepissem, cognoscere necesse fuit. Criticae artis ne nomen quidem fando accepisse homines dixeris. Affuerunt iis ad manum litterati Indi, vulgo *Pan'd'iti* dicti, qui textum apparavisse videntur. Sequuti sunt plerumque Bengalos; quando in mentem iis venit, transierunt ad commentatores; est quoque, ubi utriusque recensionis

lectiones cumularunt; nonnulla unde sumserint, ignoro. Nempe putarunt boni viri, quicquid versuum undecunque congeri potuisset, id Valmici acceptum esse referendum. Queruntur saepius editores Angli de repetitionibus, sed aiunt Panditos quippiam loco moveri vetuisse, quia versuum summa, paucis sublatis, non amplius foret quadratura ad numerum in computationum capite praescriptum. Ridiculum hercle! Non animadverterunt editores, semetipsos numerum excessisse, (habent enim in libro primo slocos 2907,) et salva ista lege sacratissima quinquaginta septem slocis spuriis aut supervacuis textum purgari potuisse. Calculum subduxi iuxta ipsorum numerationem, neglectis slocis ternorum versuum, qui passim intercurrunt. Modicus hic est error: at incredibile dictu, quanta cum licentia versati sint in libro secundo: insunt ei sloci quaternorum versuum, quinorum, senorum et amplius; unus aliquis in viginti novem, alius in triginta novem versus excurrit. Quid, obsecro, istuc est ineptiarum? Num sperarunt, tam stolido artificio quempiam falli posse? Scilicet conati sunt Panditi in ordinem cogere librum alienis additamentis in-

flatum, et extundere ad speciem quomodocunque numerum legitimum slocorum secundum recensionem Bengalicam; sed tamen id ipsum non omnino effecerunt. Audacter quidem ad calcem annotavere summam 4170, quae huic libro in computationum capite tribuitur (Cf. Ed. Sr. L. I, Cap. III, sl. 42, 43); re vera autem ex numeris margini adscriptis paulo plures, 4208 sloci, prodeunt. Quod si singuli versus ubique per paria copulentur, apparebit editores ducenis minimum distichis summam praefinitam excessisse.

Tironum tantum gratia moneo, interpretationem Anglicam sententiis perperam intellectis, textum mendis scatere. Nihil dico de malignitate editorum in rebus Indicis iudicandis: latrent sane, quantum libuerit, contra immortalem Valmicis umbram. Quamvis nulla ex parte non sit pessima editio Sriramapurensis, nihilominus sedulo eam evolvi, codicis vice, si forte unam alteramve lectionem offerret, meliorem quam ut sive ab editoribus, sive amanuensibus eorum excogitari potuerit.

Emendationibus quam religiosissime abstinui, nec, nisi in locis desperatis, quicquam

e coniectura in textum intuli. Sunt igitur emendationes paucae numero, eaeque levissimae, quippe quae plerumque unius litterulae mutatione absolvantur.

Quorum omnium accurate ratio reddetur in annotationibus criticis separatim edendis. Varia lectio Bengalica quidem propter perpetuum cum commentatoribus dissensum excerpi nequit: carmen integrum denuo foret describendum, ut, quid cuique respondeat, funditus perspiceretur. E codicibus alterius recensionis, cui ego me applicui, varietas, certe quae alicuius sit momenti, praesertim quid inter priorem et alterum commentarium intercedat, diligenter enotabitur; adscribentur versus e textu eiecti; indicabitur denique, unde depromserim ea, quae in commentatorum recensione non leguntur.

Codices supra memoratos partim exscripsit, partim exemplarium eiusdem ordinis collationem instituit, hunc in finem per annos tres continuos Londini et Parisiis commoratus, *Christianus Lassen,* Normannus Bergensis, Phil. Dr., olim discipulus meus, nunc fidissimus alborum socius. Iuvenis impiger, eximiae in studiis difficillimis perseverantiae,

qui duplici iam specimine harum rerum peritis doctrinam suam ingeniique acumen approbavit *), si quid mihi interim acciderit, quo minus Rameidos editionem ad finem perducere possim, continuandam suscipiet, quod eum pari cum fide atque industria facturum esse, spondere haud recuso.

Non silentio sunt praetereundi tot viri illustres, qui, tum mihi discipuloque aditu ad bibliothecarum thesauros faciliore concesso, tum notitiis utilibus mecum communicatis, denique ipso favore suo et bona opinione concepta, in opere arduo aggrediundo me adiuvarunt, et alacritatem meam interdum deficientem suscitarunt. Prae ceteris memorandi in Magna Britannia: CAROLUS WILKINS, Nestor ille studiorum Sanscritorum, bibliothecae in Curia Indica praepositus; HUMPHREDUS DAVY, *Bart.*, olim Praeses Soc. Reg. Scientt. Londinensis, et V. Cl. LEA, bibliothecae eiusdem societatis custos; IACOBUS TOD, Trib. mil.; H. T. COLEBROOKE, olim Senator in Concilio Indico

*) Essai sur le *Pali*, ou langue sacrée de la presqu'île au-delà du Gange par *E. Burnouf* et *Chr. Lassen*. Paris 1826. — *Christiani Lassenii*, Norvagi, Commentatio geographica atque historica de *Pentapotamia Indica*. Bonnae 1827.

et Praeses Soc. As. Calcuttensis, nunc soc. As. Londin. Rector; G. H. NOEHDEN, popularis noster, eidem Societati, dum inter vivos agebat a litteris, et antiquitatum Musei Britannici inspector; IOANNES MALCOLM, eques, Praefectus provinciae Bombaiae; IACOBUS MACKINTOSH, eques, olim Praetor iuri dicundo in eadem provincia; ALEXANDER JOHNSTON, eques, olim Praetor in insula Taprobane, G. C. HAUGHTON, olim linguae Sanscritae et Bengalicae in Acad. Hayleybur. Professor; in Gallia: ABEL REMUSAT, linguae Sinicae Prof., et Conservator Codd. Mss. Bibl. Reg. Parisiensis; inter nostrates par nobile fratrum, GUILELMUS et ALEXANDER DE HUMBOLDT. Qui viri, vix satis dignis laudibus praedicandi, ut publicam hanc grati animi significationem pro consueta sua erga me benevolentia accipere velint, enixe oro rogoque.

Quod autem per Germaniam litterae Indicae, novum eruditionis genus, haud infelici successu coli coeptae sunt, id totum debetur munificentiae REGIS Borussorum augustissimi, cuius auspiciis, humanitatis cultu cum armorum gloria coniuncto, disciplinae artesque elegantiores florent et laetiora in dies incrementa capiunt. Veneror patronum generosis-

simum, qui in hac Universitate Rhenana, cuius ipse est Conditor atque Stator, mihi post varia fata multosque labores exantlatos honestum otium fecit, quod studiis suavissimis et monumento nominis mei apud posteros condendo consecrare possem. Gratulor mihi quod, summo Numine favente, licuit tantum opus inchoare; gaudeo et glorior, quod mea quoque opera post tot secula confirmatur antiquum istud oraculum, in Rameidos exordio sub persona Patris hominumque Deûmque Valmicem alloquentis prolatum:

Dum stabunt montes, campis dum flumina current,
Usque tuum toto carmen celebrabitur orbe.

Scribebam in Univers. Fridericia Guilelmia
Calendis Martiis, *a.* 1829.

A. G. a SCHLEGEL.

अथ

रामायणे वाल्मीकीये

बालकाण्डं

RAMEIDOS

LIBER PRIMUS.